

22844. Th. d. c. v. f. 1

II.


L. 22844
e/F. 1.

55

EPISTOLA PASTORALIS
ANDREÆ GOLLMAYR,
ARCHIEPISCOPI GORITIENSIS
regimen archidiæcesis suæ capessentis

a d

Clerum suum diœcesanum.



LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES
1900-1901
GILDED LEAF

Chorus sum quicquid ambi

ANDRÆ

**Dei et Apostolicae sedis gratia
ARCHEBISCUS GORITIENSIS,
PRINCIPIS DIGNITATE ORNATUS,
PROVINCIAE GORITIENSIS ECCLESIASTICAE
METROPOLITA,
SS. THEOLOGIAE DOCTOR,**

**venerabili archidioecesis suae Clero salutem et benedictionem
a Domino!**

Ecclæsiae metropolitanae Goritiensi, celeberrimi quondam patriarchatus Aquilejensis ex parte haeredi, a sanctissimo Patre Pio IX., qui nominationem Augustissimi Imperatoris Francisci Josephi ratam habuit, meritis licet imparibus praefectus, hodierna die hanc insignem archiepiscopalem cathedralm concendo.

Si tantum dignitatem, ad quam praeter expectationem evectus sum, præ oculis haberem, laetari et gloriari mihi liceret. Ast si perpendo onera et officia cum hac dignitate conjuncta, non absque timore et anxietate hanc aliam dioecesim, quæ hucusque præstantissimis præsulibus gloriabatur, inter quos immediatum meum prædecessorem, vitae integritate, morum suavitate, animi humilitate et charitate vix ulli secundum, commemo-
rare libet, gubernandam suscipio.

Terrent me insuper divina oracula, quæ gravia episcopaloris officii munera recensent (1 Tim. 3, 1—7. Tit. 1, 5—9.), ad quæ sacrosancta Trident. synodus (sess. VI.) respiciens omnes ecclesiarum præsules monet, „ut attendant sibi et universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, et vigilent, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent et ministerium suum impleant.“

Quodsi episcopale munus omnibus temporibus grave et laboribus refertum visum fuit, nostra aetate præsertim maximam solertiam et infractum animi robur requirit. Non deest enim impium quoddam incredulorum genus, qui omnem, si fieri posset, exterminatum vellent religionis cultum. Majores nostros saepe in vitia prolapsos et gravibus aliquando

sceleribus coquinatos fuisse, non negamus; sed fidem Deo et ecclesiae reverentiam non recusarunt. Nostra vero aetate multi vana scientia inflati ad sua desideria coacervarunt sibi magistros pruriens auribus, et a veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem converuntur. (2 Tim. 4, 3. 4.) Jure igitur conqueritur beatissimus Pater Pius IX. (Encyc. de 1846), „hac nostra deploranda aetate acerrimum contra catholicam rem universam bellum ab iis hominibus conflari, qui nefaria societate inter se juncti, omnigena opinionum portenta e tenebris eruere eaque totis viribus exaggerare atque in vulgus prodere et disseminare contendunt, — qui omne pietatis, justitiae et honestatis studium in omnium animis restinguere, mores corrumpere, jura quaeque divina et humana perturbare, catholicam religionem et civilem societatem convellere, labefactare, immo si fieri umquam posset, funditus evertere commoliuntur.“ Haec omnia nostris diebus ita se habere, nemo nostrum ignorat, cum talia experti simus, et proh dolor! nunc etiam similes perditorum hominum molitiones per totum fere, qua late patet, orbem christianum grassari ingemiscimus.

In his rerum adjunctis episcopalis munera exercitium quam arduum sit, facile potest intelligi. Sed cum novum istud jugum superna dispositione humeris meis impositum cognoscam, et „nemo mittens manum suam ad aratum et respiciens retro aptus sit regno Dei“ (Luc. 9, 62.), alacri animo pastorale munus aggredior Dei omnipotentis innexus auxilio, sperans fore ut Ille, qui saepe „infirma mundi elit, ut fortia quaeque confundat“ (1 Cor. 1, 27.), datus sit mihi gratiam, quâ suffultus ministerii mei partes adimplere valeam. Praeterea in maximam spem erigor, cum in exequendis officiis meis quam plurimos strenuos et fideles communistros et coadjutores me habere videam. Quodsi cujuslibet hominis vita militia est super terram (Job. 7, 1.), nobis sacerdotibus, qui prae caeteris boni Christi milites esse debemus (2 Tim. 2, 3.), non solum pro nostra, sed et pro fidelium nostrae curae concreditorum salute pugnandum est. Ad hanc quippe luctam spiritualem subeundam prout in acie bene ordinata et duces et milites requiruntur. Ast quid prodest duci consilium et imperandi dexteritas, si ei milites non obediunt? Quid militibus robur et animus, si duce carent vel inepte ducuntur?

Ecclesiae catholicae Hierarchia ad Christi religionem conservandam et propagandam divinitus instituta veram bene instructi exercitus imaginem praesefert. Duce enim supremum habemus, super quem Christus ecclesiam suam aedificavit, cuique Regni coelestis claves tradidit (Matth. 16, 18. 19.); neque desunt duces inferiores, quibus etiam ligandi et solvendi potestas data est (Matth. 18, 18.) quosque Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei (Act. 20, 28.). Non desiderantur denique milites, animarum pastores, quibus sub vexillo sui episcopi pugnandum est contra errores et vitia, contra spiritualia nequitiae, contra concreditum sibi ovilis adversarios.

Ne igitur incassum pugnemus, imprimis supremo Ecclesiae Capiti adhaeramus eique debitum honorem et obedientiam praestemus. Sicuti vero universalis Christi ecclesia Romanum pontificem tamquam supremum caput suum veneratur, ita singulae per orbem diffusae ecclesiae suos habent pastores, scilicet episcopos, qui tamquam legitimi apostolorum successores potestate ordinaria gregem sibi commissum gubernant. Episcoporum imprimis est, unitatis vinculum cum summo Pontifice servare, reliquorum vero sacerdotum hanc unitatem promovere episcopo suo arctissime adhaerendo. Hoc unitatis vinculum inter episcopum et inferioris ordinis pastores commendat Apostolus scribens: „Obedite praepositis vestris et subjecete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri“ (Heb. 13, 17.). Similiter loquitur vir apostolicus S. Ignatius M. in epistola ad Trall: „Quum episcopo subjecti estis ut Jesu Christo, videmini mihi non secundum homines, sed secundum Jesum Christum vivere. Necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine episcopo nihil agatis.“

Equidem obedientiam, quam Episcopo in ordinum susceptione, venerabiles fratres et filii dilectissimi! solemniter promisistis, pro munera mei ratione a vobis exigam oportet:

attamen semper memor ero verborum apostoli, episcopos vocatos non esse, ut dominentur in clero, sed ut forma facti gregis ex animo paterna charitate sibi subditos complectantur.

Maxime nobis commendatur S. Gregorii Papae pastoralis regula (Pars II. c. 6.), quam adjuvante Deo mihi sequendam proposui. „Summus locus bene regitur, cum is, qui praeest, vitiis potius quam fratribus dominatur. Miscenda est lenitas cum severitate, faciendum ex utroque quoddam temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Sit itaque amor, sed non emolliens; sit vigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate saeviens; sit pietas, sed non plus quam expedit parsens.“

More patris auctoritate quam mihi Dominus in aedificationem et non in destructionem dedit (2 Cor. 13, 10.), uti desidero non dubitans, quin et vos paternis monitis meis filiali cum fiducia obtemperaturi sitis.

Quodsi mutua concordia inter episcopum et clerum dioecesanum nunquam non necessaria visa est, nostra aetate quam maxime exoptatur. Non enim desunt homines perversi, qui benevolentiam hypocritice ostentantes clerum inferiorem in episcopos, ut eis invidiā conflent, concitare non desinunt. Contra haec prava eorum conamina tamquam bonum fidei certamen certantes (1 Tim. 6, 12.) in acie bene ordinata procedamus, coronam, quam Dominus promisit iis, qui diligunt adventum ejus (2 Tim. 4, 8.), consecuturi.

Cum igitur luctam contra iniquitatis mysterium, quod inter nos operatur, habeamus, scientia nobis quam maxime et bona e vitae testimonium necessarium est, ut victoriā de hoste reportemus, non solummodo verbo, sed etiam exemplo illos, qui ex advero sunt, confundentes.

Si nullo non tempore litterarum studium pretiosum status clericalis ornamentum exstitit, hodie in tanto omnium scientiarum lumine sacerdotem praesertim ea, quae ad sacram doctrinam spectant, nefas est ignorare, ut in sana doctrina exhortari queat, et eos, qui contradicunt, arguere. (Tit. 1, 9.) Quomodo vero contradicentes argueret, si ipse veritatem perspectam non habeat? Quomodo spiritualibus morbis medebitur, si neque morbum noverit, neque medicinam? Apte hic verba S. Hieron. (Com. in Hagg.) convenient: „Si sacerdos est, sciat legem Domini; si ignorat legem, ipse se arguit, non esse sacerdotem Domini.“

Verum cum nihil sit, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt (Conc. Trid. sess. 22. c. 1. de ref.), facile evincitur, summa cura et studio enitendum esse, ut praeter necessariam scientiam in vita nostra morum integritas et omnium virtutum splendor eluceat, ut docente apostolo bonus odor Christi simus. Quid enim proderit oratori facundia, si, quod verbis suis asserit, factis negat? Quapropter Apostolus Tito suo praecipit: „In omnibus praebet temetipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbū sanum et irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.“ (Tit. 2, 7. 8.) Ideo S. Gregorius M. (hom. 17. in Luc. c. 10.) nullum putat ab aliis majus praejudicium, quam a sacerdotibus Deum tolerare; „quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus; nulla animarum lucra quaerimus, ad nostra quotidie studia vacamus; terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus.“

Haec, quae de scientiae necessitate et de morum integritate in mentem revocanda putavi, nos omnes spectant. Superest tandem, ut de particularibus nonnullorum clericorum officiis nonnulla attingam. Vos igitur primos alloquor, venerabiles Fratres, hujus Metro-

politanae ecclesiae Capitulares! qui etiam praedecessori meo in negotiis ecclesiasticis obeundis consilio et opera praesto fuistis. Canonicatum praebendae in ecclesiis cathedralibus et metropolitanis ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam institutae sunt, ut qui eas obtainuerint, pietate praecellant aliquis exemplo sint, atque episcopum opera et officio juvent. (Conc. Trid. sess. 24.) Vos, qui ecclesiasticae rei gerundae periti, locorum et personarum gnari estis, enixe rogo, ut mihi novo antistiti vestro cum omni sinceritate et infucato zelo consilio et operâ succurratis.

Vos quoque, qui revera oculi episcopi estis, admodum reverendi Decani! quibus singulae dioecesos partes speciatim concredita sunt, in Domino hortor, ut in munere vestro vigiles vos praebatis; vestra enim solertia et in rebus gerendis prudentia Ordinarius vester plurimum adjuvari potest ac desiderat. Deinde ad vos me converto, reverendi Parochi et reliqui animarum Curatores, qui in vinea Domini laboratis et pondus diei et aestus portatis. Vos proprie estis vices gerentes episcopi, qui semper et in omnibus dioecesis suae partibus praesto esse non potest. Parochorum juxta Tridentini decreta aliorumque curam animarum excentium est: „praedicare, — pueros fidei rudimenta et obedientiam docere, vim et usum sacramentorum explicare, sacra eloquia et salutis monita exponere, — obedientiam commendare, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, sacramenta administrare et bono exemplo pascere; pauperum aliarumque miserabilium personarum curam gerere“ etc.

In doctrina catholica exponenda nostri temporis errores et praejudicia praे oculis habeatis. Aetate nostra, ut ipsi scitis, multi obedientiae impatientes, utriusque potestatis, sacrae et civilis, osores infensissimi existunt. Hinc dissidia et seditiones, hinc civitatum perturbationes, hinc innumera mala, quibus undique premimur. Qua de causa omni studio enitendum est, ut populus christianus bene perspectum habeat, duplarem potestatem, ecclesiasticam scilicet et civilem a Deo esse constitutam, ut hominem duplice natura constantem ad finem suum dirigant. Absque infallibili ecclesiae auctoritate, teste longa saeculorum experientia, genuina Christi doctrina conservari nullo pacto potest. Ecclesia enim est columna et firmamentum veritatis, et „qui ecclesiam non audit, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus.“ (Matth. 18, 17.) Filius obediens ecclesiae etiam civilem potestatem veneratur, cum sacrae literae, quarum custos et interpres est ecclesia, clare doceant, potestatibus sublimioribus obediendum esse. „Non est potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.“ (Rom. 13, 1. 2.)

Quamvis adulorum sive publica sive privata institutio maximi sit momenti, nihilominus sedula cura in parvolorum animis ad pietatem formandis et sacra doctrina imbuendis maxime cordi animarum curatoribus esse debet. Religio enim christiana ut sublimis, quadam tamen simplicitate sese commendat, quae praeprimis animos juveniles nondum vitiis obnoxios allicere solet. Scholae minores sive parochiales ab ecclesia originem suam repetunt, et eum praecipue in finem institutae sunt, ut juventus jam a teneris annis sana doctrina rite imbuatur. Memores igitur verborum Domini: „Sinite parvulos et nolite eos prohibere venire ad me; talium est enim regnum coelorum“, (Matth. 19, 14.) sedulam operam navate in re scholastica pro viribus vestris promovenda ad majus pietatis et religionis augmentum.

Sacerdotes novi foederis insuper non tantum verbi divini praecones, sed etiam dispensatores mysteriorum Dei sunt (1 Cor. 4, 1.). Divina mysteria sive novae legis sacramenta, „per quae omnis vera justitia vel incipit vel incepta augetur vel amissa reparatur (Conc. Trid. ses. 7.), summa cum reverentia tractanda sunt, imprimis vero Venerabile Eucharistiae sacramentum, in quo est omnium sacramentorum auctor, ipse Dominus noster Jesus Christus. Ille enim, novo paschate instituto, se ipsum quotidie in ecclesia sua

sacerdotum ministerio immolandum et aeterno Patri pro mundi salute offerendum tradidit. Quae quidem oblatio licet nulla indignitate et malitia offerentium inquinari possit, vae tamen nobis, si eam leviter et negligenter tractemus! Accedentes ad novae legis sacrificium peragendum verborum Apostoli memores probemus nosmetipsos; „qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.“ (1 Cor. 11, 28. 29.) Dominus enim Jesus hoc sacramentum instituit tamquam spiritualem animarum cibum et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur. Agite igitur fratres! ut sancta sancte tractetis et angelorum panem Christi fidelibus, praesertim iis, qui primum ad communionem accedunt, quoad fieri potest solenniter et cum magno decoro distributatis. Maxime curae vobis sit, ne ad sacram mensam admittantur nisi vere poenitentes et contriti. Hinc liquet, quanti Poenitentiae sacramenti administratio sit momenti, quae non exigua pastoralis ministerii partem constituit. Potestas clavium apostolis eorumque successoribus a Domino tradita est, ut illi hominem e coeno vitiorum et e tenebris mortis eruant nec non ad meliorem statum in dies attollant. Vitandus est hac in re imprudens rigor aequae ac nimia indulgentia. Expetito primum omnipotentis Dei auxilio ad poenitentiae tribunal personam Christi gerentes omni cum mansuetudine et prudentia instructi accedite pro viribus laborantes, ut ignorantes edoceatis, aegrotos sanetis, spiritualiter mortuos ad vitam homine christiano dignam suscitetis.

Multa sane sunt, quae ab animarum pastoribus ecclesia requirit. Quae ut clerus praestare valeat, diligenti praeparatione ad statum sacerdotalem opus est. Hinc facile patet, cleri junioris educationem in seminariis summi momenti esse debere. Quapropter etiam vos, Seminarii centralis Rectores et Professores reverendi! paucis alloquor. Vestrae curae concreti sunt juniores clerici quatuor dioecesum, militiae sacrae tyrones, spes Episcoporum. Cum initium omnis sapientiae timor Domini sit, corda juvenilia per pietatem ad doctrinam et per doctrinam ad pietatem formate. Diversae quidem sunt disciplinae, quae in theologia traduntur, omnes tamen ad formandos sacerdotes pietate insigne idoneosque animarum pastores tendere oportet. Praeter sacram scientiam morum cultura in seminariis summopere promovenda est. Hujus vero fundamentum cum sit charitas de corde puro, de conscientia bona, de fide non ficta: clericorum corda ad amorem Dei et proximi convertere satagit, ad virtutem mores informate, mentes coelestibus disciplinis instruite. Haec perfectam educationem constituent; scientia etenim, ut docet S. Bernardus, sine charitate inflat, charitas sine scientia aberrat, charitas cum scientia aedificat.

Demum ad vos me verto, qui coetibus sacris adscripti vitam evangelicis consiliis conformem vivere profitemini. Reddite votum, quod vovistis Domino, quia requiret illud Dominus Deus vester; et si morati fueritis, reputabitur vobis in peccatum. (Deut. 23, 21.) Vocationem, quâ vocati estis, serio meditamini, ut digne ambuletis in ea. Exemplo vestro docete, quid sit abnegare semetipsum, tollere crucem suam et Christum sequi. Quodsi terret labor, aspicite proemium; nam vos, qui reliquistis omnia, juxta Christi promissionem centuplum accipietis et vitam aeternam possidebitis. (Matth. 19, 29.)

Pauca haec in ipso meo apud vos ingressu ad mentem revocanda esse duxi ad mutuam nostram aedificationem. „Cum vero non simus sufficietes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo sit (2 Cor. 3, 5.), qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate“ (Phil. 2, 13.), omnes nostri conatus in nostra et aliorum salute promovenda absque Dei auxilio irriti forent. Per continuum ergo piae orationis et meditationis exercitium accedamus ad thronum gratiae, ut auxilium inveniamus in tempore opportuno.

Rogate Deum pro felici statu sanctissimi Domini nostri Pii divina providentia Papae noni, ut Deus conservet eum incoludem ecclesiae suaee sanctae, ut nos

omnes unum efficiat, ut omnes occurramus in fidei unitatem, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.

Orate pariter pro Augustissimo Imperatore nostro Francisco Josepho I., ut Dominus noster det illi sedium suarum assistricem sapientiam, quā adiutus gloriosa incepta perficere et majora aggredi valeat pro dilatatione christiani nominis, pro exaltatione s. Matris Ecclesiae, pro pace conservanda et justitia tuenda.

Denique et memores estote in orationibus vestris mei indignissimi servi Christi, ut intercedentibus gloriosissimis martyribus, hujus urbis et dioecesis patronis, in defensione et augmentatione religionis catholico-christianae fidelis servus et prudens, quem Dominus super familiam suam constituit, in die judicii Dei inveniar.

Jurisdictionem et reliquas facultates a legitima potestate concessas confirmo, donec aliter statuere visum fuerit.

„De caetero, fratres! gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei et communicatio S. Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.“

Datum Goritiae in Nativitate S. Joannis Bapt. Anno 1855.

ANDREAS M. P.

Archiepiscopus.